

De humanitate pro omnibus ac de educatione formali *

I

Si quis ex uiris doctis de gentium conformatione ad cultum atque humanitatem meditetur, subsidere quidem in radice cito perspiciet quaestionem historicam ac paedagogicam de educatione formali seu fundamentali, quae harum bonarum litterarum maximi est pretii fructus.

Namque hae bonae artes —uulgo sic dictus Humanismus— etiam ex sua significatione ac sensu, nituntur sane ut homo his qualitatibus et proprietatibus exornetur quae naturam humanam decorent atque perficiant. Nunc uero quid est et quomodo concipi oportet talem Humanismi notionem? Numquid ad eam efficiendam conformandamque numerabimus quae hodiernae scientiae experimenta ac artium cognitiones, quae actiones et doctrinae ordinandae societatis, quae fructus ac proventus operis ac laboris, omnia denique quae haec summa rerum ac cultioris uitae ciuilis adferunt, tamquam si originem profecto ac causam constitueret integrae perfectaeque institutionis hominum? Estne talis notio antiqua aut hodierna? Si recte cogitetur, illa humanitatis doctrina —seu Humanismus— quoad naturam atque efficaciam, certo neque uetus, neque noua esse noscitur. Sicut principia quae intrinsecus in ea latent, illa quoque ad omne aeuum ac tempora extenditur, et constituit procul dubio ueteris

(*) Comunicación pronunciada en su texto latino por el autor en el Congreso Internacional de Literatura y Lenguas latinas celebrado en Roma, del 14 al 18 de abril de 1966.

sapientiae fundamentum. Inde igitur patet existere eam atque uigere in litterarum monumentis quae lucem generi humano ac duces miro modo praebuerunt: sic proinde inuenitur in Biblia Sacra, in maximis scriptis litterarum Orientalium, in praeclaris operibus Occidentis. Ideo quidem, prudentium iudicio, non haberi potest uerus Humanismus pro nobis qui epigoni existimus linguae Romanae ac doctrinae, nisi ille qui supra humanitate latina statuitur, sicut philosophi ueteres et scriptores iudicauerunt, cum principia suprema animi hominum ac excelsiores motus et contemplant, et conformarent. Haec autem humanitas latina ex his elementis constituitur, quae dicuntur et eruditio et institutio, ut cogitat et laudat A. Gellius (13, 17, 1). Licebit hodie, si uis, inde ab I. Heinemann ¹ de recta intelligentia disputare ac explicatione quam promittit Gellius in loco memorato, sed constat quidem enodationem uocis «humanitas», quam ille tribuit eis qui eam crearunt, tamquam *ῥαιδεία* ex Graecis depromptam, sine dubio adsumere significationem praecipuam a Platone ² iam acceptam.

Ceterum apud Ciceronem, sub cuius tempore creatur latinum uocabulum «humanitas», huius substantia atque res in eo est posita quo «a bestiis homo ex natura discernitur» ³, necnon quo «opponitur immanitati barbarorum ac feritati» ⁴. Magnus Arpinas in oratione pro Archia illam humanitatem uelut eruditionem ac institutionem magnifice intelligit atque eloquenter euoluit.

Mox etiam uirtus et causa educationis, notio humanitatis dicitur et augetur pietate, grauitate, fide, clementia, hoc est, redimitur pulchra uirtutum corona ad ethicam et societatem spectantium, quae illi inter Graecos illustriores, Panaetius, Antiochus, Posidonius, ut *φιγανθρωπία* ac *κοινωνία* sentiunt ⁵. Prudenter igitur dixit ad hoc et pro sua alta mente Lucius Annaeus Seneca uincula

1. S. U. HUMANITAS en *Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft*. Supplementband V. Stuttgart, 1931.

2. PLAT., *Phaed.* 107 d.

3. CIC., *Off.* 3, 32.

4. CIC., *Off.* 1, 62; *Lael.* 2, 36; *Rep.* 2, 27.

5. HEINEMANN, *l. c.*, p. 309, n. 8.

perspicuens institutionis cum uirtute his uerbis: «uirtus non contingit animo nisi instituto et edocto et ad summum adsidua exercitatione perducto» (ep. 90, 46).

Iam uero lingua latina, qua utitur liberalis humanitas uelut instrumento ac uehiculo traditionis —praetereundum non est— generi hominum praebuit et adhuc praebet uenam et thesaurum scientiae historicae et philologiae una simul cum excelsa et perenni animi sapientia, quae in primis ad institutionem ualde confert. Nam, ut scientia et cultura mentis, excitat profecto conscientiam historicam qua in nobis sentimus connexionem et uincula cum saeculis praeteritis atque hominibus, quorum exempla collustrare uidentur in antecessum implicatas asperasque praesentium temporum uias.

II

Altera ex parte conscius est homo propriae limitationis ac modi, qua non omnes nec multas artes scientiasque adipisci ei licet; quaerit proinde in humanitate ac bonis litteris illud pondus et uim sapientiae quae in fundamento est ac radice omnium educationis, quamque hic appellamus «educatio formalis» sensu tamen aristotelico.

Non dubium, quin cuiusque disciplinae cultus quicquam maius minusue operis ad formationem praestet. Sed nostra interest quod efficaciae ad hoc gradus detur eminens, praeualens ac permanens in aliqua disciplina adeo ut haec et actus, et mentis habitus, et animi conatus, dirigat ac firmet.

Mihi quidem erit grato animo, si illam formalis educationis uim expromam ipsis uerbis clarissimi paedagogi J. Castiello: L'educazione formale consiste nell'influenzare le funzioni psichiche in modo tale d'aumentare in grado diverso il loro rendimento, sia per generalizzazione che per elevazione. E cioè qualcosa che imprime nello spirituo una direzione o una forma»⁶.

6. J. CASTIELLO, *Geistesformung, Beiträge zur experimentellen Erforschung der formalen Bildung*, Berlin, 1934; trad. esp. *La formación mental*, edit. Jus, México, 1944, p. 20.

Quid igitur est hoc? Est quidem ille instinctus impulsusque, ualens atque efficax in animi motus et sensus, qui eo contendit ut menti profecto ac uoluntati habitus moresque ipsam hominis personam perficientes, firmiter addantur. Quod re vera fieri uideatur, si conscienter uel ultro transferantur ex alia in alias notiones mentis, experimenta animi ac sensus. Sic autem exempli gratia, si habitudinem mentis in studio linguae antiquae adeptam, ad Historiae studium uel Philosophiae transferatur seu adplicetur.

Nunc uero ex ceteris et plerisque disciplinis apud homines in usu eminet quidem notabiliter lingua ac cultura latina ad efficiendam exercendamque hanc institutionem animi. Namque omnibus est cognitum quod ea excolit agitatque intellectus potentiam, necnon uires uoluntatis actuosas, ut sunt: uim abstrahendi logicam et rationalem, incrementum locutionis, notionum gratuitarum aestimationem, exercendo ad hos fines uim diuersa in unum contrahendi, ordinandae cogitationis sensum, ingenii aciem penetrantis ut naturae animi superaddatur uelut innata firmitatis habitudo ac sedulitatis.

Deinde etiam plane demonstratur ac patet in experimentis hodiernis a psycho-paedagogicis uiris in praxim deductis, quod datur in discenda lingua latina haec facultas perficiendi in animo qualitates fundamentales quae ad alias disciplinas adplicari possunt, et quae ab Americanis septentrionalibus recte est appellata «transfer of training».

Namque experimenta quae strenue peregit anno 1924 sic dicta «Classical League»⁷ in America Septentrionali confirmarunt practice et psychologice quod studentes litterarum et linguae latinae aciem mentis monstrarunt superiorem aliis in disciplinis quam in latina in gradu adaequato ad ternas decimas partes in centesimis quoad ceteros studentes non Latinos. Hanc tamen eminentiam comprobatum est tribuendam esse non quidem innato ingenii acumine, sed exercitiis in excolenda lingua latina

7. *The Classical Investigation*, Princeton Univ., Princeton 1932, vol. I, p. 238, en RENZO TITONE, *L'insegnamento delle materie linguistiche e artistiche*, Zürich, 1963, p. 255.

confectis, dummodo methodo didactica apta adhibeatur ad principia generalia menti imbuenda.

Magni igitur interest haec methodus ad hunc finem educationis fundamentalis, et reperitur quidem efficax hac in re. Debet tamen, si ita fieri uelimus, adcommodari obiecto docibili, scilicet essentiae et modo essentiae obiecti, nam ut concipiantur hae notiones sic erit apprehensionis facultas in subiecto discente. Et quidem hic et nunc agitur de lingua sane non in usu uiua, tamquam de obiecto docibili. Videte namque quod lingua in usu seu uiua et exercetur in sermone cotidiano, et auditur, et scribitur, et in ea quaque cogitatur, lingua tamen non in usu, licet non mortua, ut Latina, et legitur, et quandoque auditur, et scribitur quidem, sed in sermone non exercetur; nec in ea cogitatur; inde ostenditur quod in ea adiscenda, non eadem methodus adhiberi debet quam in illis maternis seu uulvis. Hinc fundamentum didacticum ut quis introducatur in linguam latinam est profecto scriptorum lectio, obiectum autem primum translatio seu interpretatio eorum textus. Proinde bona methodus in docendo id persequi debet ut cognoscantur recte ueterum textus scriptorum. Declarare igitur cogimur et inter necessaria subsidia didactica numerare quae sequuntur: Grammaticam fundamentalem, uocabula gradatim incrementata, lectionem thematicam et commentatam, interpretationem denique authenticam.

De his omnibus subsidiis diffuse disserere non inane esset, sed ad hoc lectoribus memoro ex nostra parte, quod in Commentario philologico inscripto «Helmantica» atque item in «Revista Calasancia» iam antea manet exaratum ⁸.

Postremo, ut finem faciam, merito ac iure asserere ex dictis licet, litteras et linguam Latinam thesaurum perennem manere, atque in posterum mansurum esse uelut pondus pretiosissimum, cum apud societatem hominum, tum in primis apud Christianam ac Catholicam Ecclesiam, quo indesinenter utitur ad cognoscendam, ad declarandam, ad euoluendam siue Scripturum Sacram, siue Patrum Traditionem.

JULIO CAMPOS

8. Cf. «HELMANTICA», 32, 1959, 207-220. «Revista Calasancia», 41, 1965, 17-54.